




M. ACADEMIA
KÖNYVTÁRA

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



IN INCLYTI MATTHIAE

Hunnyadis, Regis Hungariæ augustissimi Historiam, ab

Antonio Bonfinio conscriptam, Basilij Fabricij

Sikſouiani ad candidum Lectorem

Præfatio.

Pindarus poetarum apud græcos eminentissimus, plurima quidem, non sine diuino quodam & inimitabili sublimis ingenij spiritu, cecinit saluberrima vitæ monita: Sed illud inter cætera memoria dignissimum videtur, quod Pythiorum oda prima piensissime scriptum reliquit, inquiens: *ἐκ θεῶν μαχαραὶ πάντα ἔροται: ἔπειτα δὲ, καὶ σοφοί, καὶ χεροὶ βίαται.* Quo significauit, non solum excellentium virtutum effectiorem omnem ex Deo proiciſci: sed sapientes quoq; ac manibus fortes viros diuinitus donari, eorumq; gubernationem tunc esse salutarem, cum diuina ope reguntur, iuuantur, & conseruantur. Fateri coacti sunt enim saniores etiam apud Ethnicos, non casu aut temere nasci imperia: imo nec initia, nec curriculum imperiorum esse felix, nisi personæ diuinitus constitutæ sapientia ac virtute armentur, successu in rebus gerendis, ac in toto gubernationis cursu à Deo ornentur. Sed multo certiora & illustriora, tam de origine quam de dignitate ordinis politici, doctrina cœlestis suppeditat nobis testimonia: cum docet, omnem potestatem ordinatam Deum agnoscere autorem, ab ipso regna constitui, administrari, transferri, ac pro liberrima eiusdem voluntate imperiorum durationes, metas, variasq; vices dispensari.

Elucet autem vel in constitutione regiminis politici singularis Dei sapientia, & nuncq; satis æstimanda bonitas: quod homines cœlestis illius lucis participes, non passus ferarum ritu passim vagantes, agrestem ac beluinam vitâ traducere, certis legibus in hac societate ciuili coniunctos degere voluit: vt de religione, virtutum intellectu, alijsq; honestis vitæ officijs, artibus item ad vitam tuendam necessarijs, per cōmunicationem sermonis se inuicem instruere possent: ad legisq; diuinæ normam totius vitæ cursum instituere. Nisi enim hunc ordinem Deus in natura sanxisset, nec de conditore, nec de ipsius voluntate, nec de ulla honesta vitæ moderatione informari posset genus humanū. In vita præterea quam horribilis eſſet confusio, nullæ leges, nulla disciplina, nullus iustitiæ cultus, scelerum deniq; omnium infinita grassaretur licentia. Vult ergo Deus rationalem naturam, in quam ordinis transfudit noticiam, ordinate quoq; vitam regere, potestatem ab ipso constitutam reuereri, illi parere, nec furenter hunc ordinem diuinum mandatæ obedientiæ perulanti detrectatione conturbare. Vult etiam Magistratum memorem functionis suæ, custodem esse legis ab ipso traditæ, propagare religionem, tueri leges, pacem ac tranquillitatem publicam colere, fontibus terrori, innoxijs honori præsidere: deniq; pulcerrimam istam ordinis harmoniam, in natura ad societatem amandam condita, conseruare.

Cum autem Diabolus optime intelligat quantum boni sit in ordine politico, hostis omnis constitutionis diuinæ infensissimus, excitauit

) (2

omnibus

omnibus temporibus sua organa, fanaticos & turbulentos homines: per quos pulcritudinem huius concentus deformare, nervos politici regiminis labefacere, extremamque omnium bonarum rerum dissipationem in imperiis efficere conatus est. Hinc natae sunt semper proditio- nes, nefariae seditiones, factiones, coniurationes aduersus Magistratus legitimos, quibus hoc opus Dei ordinatissimum, Satan rabiose fau- ens, dissoluere aut euertere conatus est. Nihilominus tamen Deus, cus- tos suae institutionis ac vindex, conseruauit ordinem à se institutum, illi- usque turbatores puniit semper seuerissime, sicut omnium aetatum histo- ria, poenarum atrocissimarum in violatores politici ordinis exempla proponentes, luculentum ferunt testimonium.

Non solum autem in ipsa constitutione, sed in modo etiam & or- dine, quo Deus in electione personarum, quas imperiis praeficit, proce- dere consuevit, peculiaris ipsius prouidentia, ac extra vsitatum humanae prudentiae cursum posita sapientia conspicitur. Diuersam enim planè rationem sequitur, iudicioque carnis absurdam, in personis, ad gubernacula publica deligendis. Nam mundus, ut in alijs rebus omnibus, ita in electione magistratuum, externum potissimum spectat splendorem. Ac si quos videt opibus, potentia, autoritate, ac cli- entelis multorum populorum subnixos, in ijs plurimum collocat praesidij, ijs se submittit, hos suspicit, adorat, atque ab ijs vitae & fortunaru sperat patrocinium: hos denique, qui in summum humani generis fastigi- um subuehantur dignos iudicat. At Deus contra hanc mundi sapien- tiam, non claris natalibus illustres, non opibus & dignitate praecellen- tes, vel aliorum externorum praesidiorum fiducia inflatos solet eligere, sed saepe infimo loco ortos, coram mundo despectos: Et ut Psalmus lo- quitur, pauperes ex stercore erectos, collocat cum principibus populi: sicut olim exempla Ioseph, Iephtae, Davidis, Danielis, Cyri, Romuli & plurimorum aliorum ostendunt. Huc pertinet & Matthiae Hun- nyadis, Regis Vngariae, de quo pro ratione praesentis historiae praefari decreuimus, exemplum memorabile: qui quamuis ex Iohanne Hun- nyade, Heroe praestantissimo natus, splendore generis esset clariss., tamè partim ex recondito quodam voluntatis arcanæ, qua Deus res humanas moderatur, decreto, partim etiam procerum quorundam, paternae glo- ria inuidentium, insidijs cum impeteretur: ex sublimi fortunae floren- tissimae fastigio violenter deiectus, in carcerem teterrimum praeci- pitatur. Ibi cum aut fraterno cruore madentem horret gladium, aut perpetui carceris metuit squalorem, subito (miram humanorum casu- um vicissitudinem aspice) in regni Pannonici culmen ex pedore carce- ris extollitur. Ac qui paulo ante captiuus de ipsa vita periclitans, ex- trema queque omni humano destitutus praesidio meruit, in solio Panno- niae paulo post conspectus: diuina benignitate arduis semper ipsius as- spirante conatibus, eo magnitudinis processit, ut omnes sui temporis Reges, potentia, felicitate, rerumque gestarum gloria facile vinceret.

Constat autem, Matthiae rerum potente, imperium Vngaricum in summum euectum fastigium: adeo, ut cum omnibus Europae pro- uincijs

uincijs, & amplitudine & fama nominis posset contendere, Rex enim
 Matthias superiorum omnium Pannoniæ regum gloriam, virtute in-
 comparabili non solum adæquare, sed superare etiam regum ducens:
 cum generosos heroici animi spiritus, spe quadam non dubia futuræ
 magnitudinis concepta aleret, nihilq; humile aut infra sui animi celsi-
 tudinem positum cogitaret: sed omni occasione æternum nomen tam
 sibi quam suæ genti parare cum meditaretur: nihil eorum nec bello nec
 pace prætermisit, quæ ad auitum Pannoniæ decus, non solum ruen-
 dum sed illustrandum etiam pertinerent. Eminebant in eo dotes prin-
cipe dignissimæ: Ardens religionis studium, amor iustitiæ, clementia in
subditos cum iusta seueritate temperata, Industria in rebus gerendis a-
cerrima, Pacis & concordia publicæ studium perpetuū, Vigilantia in
defensione regni mirifica, In reprimendis seditiosis ac publicæ quietis
turbatoribus celeritas admirabilis, In hostibus à quibus lacessitus fuerat,
vlciscēdis digna magnanimo principe constantia, Moderatio, & comi-
tas in domestica vita commendabilis, Deniq; artibus pacis & belli or-
natissimus, ac iuxta Aristotelem, φιλοσυχη καὶ δραστηρι. Nam pace
 quidem & tranquillitate patriæ nihil vnq; antiquius habuit: sed vbi quid
 necessario pro repub. agendum erat, & animo & corpore fuit prom-
 ptissimus. Liberalitas præterea in excitandis, fouendis, ac ornandis bo-
 narum artium studijs eximia. Amplissimis enim stipendijs propositis,
 liberalium disciplinarum professores ex omni Europa inuitatos, muni-
 ficentia vere regia ditare pergens, perfecit, vt studia artium humanio-
 rum, omniscq; philosophiæ, Pannonos etiam excolere certatim incipe-
 rent. Bibliothecam quoq; Budæ, inæstimabili sumptu, ex omnibus
 terris (sed præsertim ex Græcia, iam à Turcis vastata) conquisitis ve-
 terum scriptorum Græcorum, Latinorum & Hebraicorum monimen-
 tis adornauit copiosissimam, qua instructiorem tota Europa vix habu-
 isse dicitur. Hinc multi vtilis græci autores nusq; alibi reperti prodire.
 Gentem etiam Pannonicā ab asperiore & agreliore vita ad cultiorem
 & humaniorem traductam, omnium rerum ad victum & cultum ne-
 cessariarum copia ditauit: (nisi quod propter continua bella, quibus sub-
 inde à Turcis impetebatur, in exigendis tributis paulo fuit grauior)
 Vt non immerito dictum sit: Ex regno Vngariæ plumbeo, Mat-
thiæ industria aureum fuisse redditum. In summa, verè congruit in e-
um illud Homeri præconium: ἀμφοτέρων βασιλεύς ἀγαθὸς κρατερός, αἰχ-
μητής. Accendit etiam populorum omnium finitimorum erga se studi-
 um & amorem, cum omnibus officijs, ad Christianam præsertim rem-
 pub. spectantibus, deuincire illos sibi conaretur: Vnde factum est, vt ip-
 sius amicitiam summi Europæ principes amplissimis missis legationi-
 bus certatim expeterent, & tanq; præcipuum Christiani nominis aduer-
 sus Turcam defensorem deuenerentur.

Ac certè, si verum ingenue fateri placet, Matthias vnus fuit ex
 præstantissimis in humano genere viris, quos Deus inde ab initio ad
 curam propagandæ religionis, restituendam disciplinam, pacem tu-
 endam, tollenda latrocinia, & alias res bonas, humanoq; generi neces-
 sarias

farias restaurandas excitare fuit solitus. Virtutes enim quascunq̄ requiras, quibus prisci illi Heroes per totum orbem celebrati, immortale nomen etiam apud posteritatem consecuti sunt: paucos reperias Matthiæ Hunnyiadi præferendos: vt iure deplorandum sit, tam excellentem virtutem adeo angustis huius vitæ caduæ limitibus circumscriptam. Sed sicut nihil est in rebus humanis constans & firmum, nihil stabili floridæ prosperitatis vigore perennans, sed omnia fatali quadam lege, perpetuis agitantur naturæ decrescens vicibus: Ita imperiorum etiam sua sunt fata, suæ definitæ periodi, quibus peractis, ac ad suos terminos deuolutis, paulatim omnia deflorescere, eneruari, ac ad interitum vergere incipiunt. Testantur id historiæ omnium temporum, à prima inde mundi origine reperitæ: ex quibus 500. præsertim annorum circuitum, magnas mutationes, aut vniuersales regnorum translationes excepisse, longa constantiq̄ obseruatione compertum est. Ac vt exterarum gentium exempla breuitatis causa prætereamus, regnum Vngariæ circa annum Christi Millesimum, primum, cœpit efflorescere, Stephano primo Rege rerum potito. Inde quingentis circiter anni ad Matthiæ Regis obitum, qui incidit in annum Christi 1490. numerantur: Quo imperante, Pannonicam potentiam ad ætatem progressam, in matura quasi & vegeta ætate constituisse, vigoremq̄ præteriti temporis longe vicisse constat. Hinc conuersis fatiis, à culmine declinare, in peius paulatim ruere, ac retro sublapsa referri cœperunt omnia: adeo, vt vix extrema iam lineamenta floridæ illius ac vigentis ætatis, in hac languente eneruataq̄ senecta appareant.

Deploranda est sanè rerum humanarum instabilis ista, & continu-
is vicissitudinibus obnoxia conditio, quod non vrbes tantum potentissimæ, sed regna etiam florentissima tam contractis paucorum annorum sunt terminata spacijs, quibus circumactis, à suo vigore delabi, sensim marcescere, ac tandem funditus concidere soleant. Hæc spectacula, de prouidentia Dei in dispensatione rerū humanarū admirabili, ac de ira eiusdem aduersus peccatū seuerissima nos cōmonefaciant oportet. Sicut enim imperia non humanis consilijs constituuntur, nec viribus conseruantur: sed à Deo colliguntur, sustentantur: ac donec mediocrem aliquem statum retinent, ab eodem protegentur: Ita ipso ista disponente, fatalibus ingruentibus mutationibus, vel in peregrinorum potestatem traduntur, vel funditus destruuntur. Accersunt autem has clades imperijs plerunq̄ hominum scelera, quibus Deus irritatus, tandem furorem iræ suæ iustissimum solet in gentes peccatrices effundere: sed præcipue Idolatriæ, Tyrannides & Libidines: quæ ipsa vitia quoties in aliqua gente dominari cœperunt, magnis mutationibus, aut euersionibus imperiorum certissimam occasionem dedisse legimus: Cuius rei varia exempla congerere in promptu foret, ex historijs & sacris & profanis. Sicut enim verus Dei cultus, iusticia & verecundia stabilit regna, & thronos regum confirmat: Ita contraria vitia non dubiam ruinam imperijs solent attrahere. Ac
ne longe

ne longe exempla perantur, nostræ etiam patriæ calamitosissimæ, hæc eandem causas, tristissimam istam dissipationem, ac excidium deplorandum peperisse non est dubium.

Cæterum quamuis in pœnis fatalibus hæreat Hungaria, ac iustissimam Dei iram multipliciter irritauerit, & adhuc idem facere non desinat: Tamen neminem tam rigidum censorem de causis nostrarum miseriarum futurum iudico, quin fragilitatem rerum humanarum, quasi in se paululum descendens, in hac imagine nostrorum malorum expendat: ob irâ Dei aduersus peccatû serio expauescat, vitamq; corrigere studeat: Ac insuper memor meritorum, quæ nostri maiores toti Europæ multos annos præstiterunt constantissime, hostem vicinarum gentium ceruicibus incumbentem suo sanguine repellentes, nostram vicem non doleat: fortunamq; gentis fortissimæ eo iam recidisse, vt hosti, de quo trophæa victoriarum præclarissimarum erexit plurima, iam seruire, ac extrema quæq; pati cogatur, non deploret. Meruerunt quidem nostra flagitia istas, & multo atrociores pœnas: Verum calamitatis nostræ consideratio, commiserationem potius apud vicinos conciliare nobis debebat, quam vt in alta (ceu sibi videntur) adhuc pace securi, malis nostris acerbe insultando, dolorem dolori adderent.

Celebris est memoria Caroli Martelli, quod ære quingētos & amplius annos Saracenos, ingenti exercitu in Hispaniam infusos, vicinisq; provincijs formidabiles, deleuerit, tantoq; periculo Italiam, Galliam & Hispaniam, quæ regna haud dubie tunc magnum erant aditura discrimen, liberauerit. Nihil quidem Herois fortissimi laudibus detractum volo: Verum, vt vetustiora nunc taceamus, Nonne meritum Iohannis Hunyadiis, patris Matthiæ in totam Europam extitit clarissimum, grataq; totius posteritatis prædicatione ornandum, quando Amurathen & Mahometum, duo fulmina Europæ, iam instructissimo exercitu vicinæ Germaniæ ac Italiæ incumbentes, repressit, ac ita cohibuit, vt illos ab incepto abstinere cogeret, omneq; periculum istarum impressionum sua virtute à vicinis auerteret. Hic certè Dux, nisi tanq; murus quidam aheneus ijs duobus imperatoribus Turcicis, illo tempore obiectus fuisset, iam tum fortasse de tota Europa actum fuerat. Præclaram etiam laudem meruit, cum Belgradum arcem, ad confluentem Sauri & Draui sitam, furenter oppugnantibus eam Turcis, magno animo protexit, multaq; illorum millia in ipsis fossis prosternens, obsidionem soluere (paulo post ex labore ipse quoq; extinctus) coegit. Vicies iusta acie cum Turcis arma, semper victor, contulisse legitur. Nec vnq; nisi bis, tuncq; militum inopia uictus.

Quid de Matthia, Hunyadiis filio, Rege fortunatissimo, & ad Turcicam Tyrannidem euertendam nato, dicam? Qui initio statim regni, nondum confirmatis adhuc in illa procerum distractione imperij viribus, varijs quidem bellis, sed Turcico omnium periculosissimo exceptus, non solum fines suæ ditionis strennue contra incursus ferocissimorum hostium tutatus est: sed à finitimis etiam populis omnem impetum hostilem propulsauit, Ac nisi præclarissimi
& toti

& toti Europæ salutare conatus ipsius, tristi uniuersi orbis Christiani fato, partim artibus Romani Pontificis, partim uicinatorum etiam principū machinationibus impeditus fuisset, res longe maiores & utiliores fuerat gesturus. Sed sicut excellentem uirtutem semper comitatur inuidia: & vicini indigne ferunt crescentem uicinatorum potentiam: eamq̄ partim insidiosis & occultis molitionibus premere, partim aperta etiam uia debilitare & infringere conantur: Ita Matthiæ etiam Regi, ab ijs ipsis, qui iuuare eius consilia & propositum debebant, varia sæpe sunt obiecta impedimenta, quæ ipsius cogitationem à studio bene merendi de orbe Christiano, cum maximo finitimarum etiam prouinciarum malo, auerterunt. Sic postea ipso extincto, ferocientibus magis Turcis, Pannonia à vicinis penitus deserta, nouisq̄ subinde cladibus attrita deficere cœpit. Sic inde exagitata & confecta partim externis partim internis etiam bellis, eo redacta est, ut ægre languentem iam ac penè exhalantem trahat spiritum.

Atq̄ utinam vel nunc uicina Germania quid afflictissimæ & iam animam agenti debeat Pannoniæ, secum reputare uolens, illos labores ac discrimina, quæ hæc gens pro uicinatorum salute & incolumitate promptissimo animo subire non recusauit plurima, expenderet. Aut si nullam planè iam meremur misericordiam, vel uicino tandem malo sapere incipiens, suis etiam rebus, non certè extra metum iam iam imminentis periculi positus, consulendum esse cogitaret: ac ad hoc commune incendium, quo nos iam plane conflagrauimus, restinguendum, coniunctis animis cito accurreret. Vereor enim ne hæc flamma latius serpens, uicinam quoq̄ propediem correptura & deuoratura sit Germaniam. Quod ut Deus clementissimus prohibeat, hospitiâq̄ suæ Ecclesiæ aliqua in his & uicinis regionibus ex immensa bonitate conseruet, toto pectore oro.

Proinde ad uos iam Vngariæ proceres, quos vel hostiliū armorū sauciâ, vel tot bellorum ciuiliū laniæ adhuc reliquos fecere, sermonem conuerto, ac per salutem iam iam ruenis patriæ obtestor: ut tandem furentibus istis factionibus uos conficere, reliquiasq̄ Pannonicæ gentis tanq̄ Cadmei fratres rabiose in viscera uestra grassantes, ad interuersionem usq̄ persequi desinat. Si turpitudine harum dissensionū, damnaq̄ distractionibus istis tristissimis, quæ uobis conciliatis irreuerabilia, ad saniora consilia capienda uos non flectunt: Nec vastitatis prouinciæ, nec tot cædium uestrorum fratrum miseret: Proponite uobis pro exemplo inuictam uestrorum maiorum concordiam, & in tuenda patria sanctissimam hostiq̄ formidabilem animorū coniunctionē. Omne regnum in se diuisum desolandum esse prædixit saluator noster: Cuius oraculi ueracitatem, utinam alienis potius & non tristissimis uestrorum dissidiorum cladibus didicissemus. Ut priuata & publica mala, quæ ex terribissima ista, & ferinæ cuiusdam truculentie plena discordia accepistis (nam uel memorasse refugit animus) taceam: Nonne iudicia uicinatorum populorum uerebimini, qui haud

haud dubie intestinis vestris dissensionibus, magnam partem calamitatum quibus premimur, & quidem non immerito, imputabunt. Extinctum certe iam est pristinum robur Pannoniæ, hostiumque potentia vestris discordiis ita creuit, vt videatur toti mundo insuperabilis. Verum si ad concordiam studium tandem animum adijcientes, deposita factionum alendarum, immaniter nunc quoque in Vngaria desperatissima grassantium, libidine, confunctis animis, quantum boni sit in voluntatum ac studiorum vnanimi consensione experiri placeret: Deus procul dubio vestris aspiraret conatibus, vt tristissimam istam seruitutem, quam vestri maiores suo sanguine à posteritate propulsarunt, tandem ceruicibus vestris excutientes: in uitam vos ipsos, coniuges, ac natos libertatem vindicaretis. Sicut enim priores triumphos inexpugnabile robur concordiam nostris maioribus peperit: ita non dubium est, execrabilem istam, & omnibus diis deuouendam furiam, discordiam nempe, regnorum omnium pestem nocentissimam, hoc excidium imperio Pannonico, olim concordiam viribus inuicto, attraxisse. Si quid ergo laude auita dignum unquam gerere cogitatis: Si ex his difficultatibus, in quibus nunc hæretis miserabiliter impliciti, euoluere vos cogitatis, regnumque Vngariæ pristino decori restituere: animorum consociatione, factionum odio, concordiam amore, quibus rebus nostri maiores, diuino adiuti praesidio, res tantas pro patria gesserunt, opus est: Alioqui nullam unquam spem melioris status concipere poteritis. Quin potius crescentibus odiis, dissidiis intestinis, factionibus civilibus, nostra quoque mala crescere, in peius multo res Vngaricas ruere, ac tandem funditus perire necesse est. Quod vt Deus pater multae misericordiam, ex sua benignitate ineffabili auertat, animos principum ad pacis & concordiam verum studium flectat, voluntates distractas coniungat, vulneraque nostrae patriae exulceratissima, humanis pharmacis immedicabilia, ipse sanet: quietem aliquam tam politicae quam Ecclesiae clementer restituat, ardentibus votis imploro.

Postremo, quod ad institutam editionem attinet, autorem hæc habet Antonium Bonfinium: qui reliquam etiam Vngaricarum rerum historiam, candore vere historico, fide integra, dexteritate mira, orationisque mundissimae elegantis stylo, tribus decadibus, multa cum laude persecutus est. Cæterum, partim fatali quadam temporum iniuria, partim etiam malignitate nescio quorum, gloriae rerum à Matthia gestarum iniquius fauentium, hi sex libri (nam plures ad nos non peruenerunt: cum quatuor decadas autorem absoluisse constet) suppressi, indignoque carcere conclusi, diu delituerunt. Nunc autem primum omnium, industria laboreque viri clarissimi, D. Casparis Hefti, pietate, doctrina & ipsa canicie venerandi senis, ac de Ecclesia multos iam annos docendo scribendoque præclare meriti, lucem aspicere incipiunt. Qui pro suo indefesso iniuanda & ornanda Hungarica gente studio, indignissimum ratus hanc partem historiae patriae longe vilissimam, lectioneque dignissimam, in priuatis tantum paucorum quorundam bibliothecis sepultam, squaloreque diurno & turpi situ tectam, ingrate asseruari: in hac etiam suae familiaris rei multis utilibus alijs editionibus attenuatae angustia, hanc partem quoque, quae in narratione rerum & domi & foris à

Matthia

Matthia Rege gestarum consumitur, typis suis euulgauit: quo Herois fortissimi, de Europa ac tota Christianitate optime meriti monumenta, sempiterna memoria dignissima, ab obliuione posteritatis vindicarentur. Quinque nihilominus annorum res gestae, quas autor quatuor libris complexus fuerat, adhuc desiderantur: qui utrum alicubi extant, nobis nondum certo constat. Exemplum quo in ista editione usus est unicum habuit, munificentia Magnifici Domini Michaelis Czackij conquisitum, & pro incredibili ac perpetuo in patriam studio communicatum. Sed id partim inscitia, partim oscitantia librorum diuersorum erat corruptissimum. Ideo, ut veritas lectionis ubique restitui posset, plurimis in locis de sensu autoris diuinare, collatis diligenter praecedentibus & sequentibus, necesse habuit. Qua in re quamuis & acumine ingenij, & dexteritate iudicij polleat plurimum: tamen saepe adhibuit amicos, cum quibus hanc historiam aliquoties ab initio ad finem relegit, accurate singula quae suspecta videri poterant pensitando, nihilque intactum relinquendo, si modo hoc scriptum a quamplurimis mendis etiamsi non omnibus, vindicatum, prodiret emendatissimum. Quamuis ergo nihil in hac parte diligentiae nec fidei desiderari possit: tamen affirmare non ausim, in hac exemplorum (unicum enim, ut diximus, & id foede contaminatum habebatur) penuria, quin aliqua quauis oculatum fugere potuerint: cum praesertim multa, ubi alias tolerabilis sensus vix erui poterat, corrigere non satis esset tutum. Ista enim audacia in alieno opere, ad censuram sui iudicij cuncta limandi, emendandi & peruertendi, ab omnibus doctis iure reprehenditur. Ut itaque lector ad eiusmodi loca in quibus examinandis oculatiores nos fuisse vellet, cum peruenerit, candorem & rectitudinem in iudicando afferat, difficultatibusque huius editionis consideratis, huic labori aequiorem se praebet iudicem, oramus.

Non defuturi sunt autem scio, qui editionis etiam consilium, tanquam nimis praecipitandum tam arduae rei operam, donec plura & correctiora exempla nacti, loca quae inquinata transcribentium incuria vel imperitia videbantur, emaculati, perpoliti, ac naturae faciei possent restitui. Enimvero fateor oprandam fuisse illam felicitatem, maioremque iniri gratiam potuisse, si omnia sanata, ac suo germano nitore restituta prodirent. Sed cum constaret, multos iam annos hanc historiam consulto in Germania suppressam: nec spes vlla certa daretur, quoniam omnino ad publicationem istam animum adijcere ausurum: & alioqui exemplorum manuscriptorum notum esset magnam esse paucitatem: Reuerendus uir Dominus Caspar Heltus, posthabita omni procrastinatione, subire multorum morosiorum etiam calumniosa iudicia nihil veritus: ut vel hoc officio suam erga gentem Hungaricam affectionem in hac senecta testaretur: nihil praeter commodum publicum in hac editione quaerens, fortique animo aemulorum, vtilis aliorum labores maliciose carpentium criminationes contemnens, huius editionis operam instituit: ut in his bellorum civilium tumultibus, suo loco posteritati etiam consuleret: quae virtute suorum maiorum inflammata, auitaque gloriae memor, exemplis optimis, usque domesticis, ad vindicandam a teterrima seruitute patriam aliquando se exuscitaret. Neminem ergo tam iniquum huius laboris censorem futurum cogitamus, qui consilium editionis carpere,

carpere, aut omnino in malam partem velit rapere. Quin potius gratia habenda & reddenda quoque est honestissimo seni, pro ista animi constantia, quod utilissimam historiam, in his etiam armorum strepitibus, privato sumptu, in lucem edere, suggillationemque multorum aemulorum subire non recusavit potius, quam genti Hungaricæ deesse, ac tot fortissimorum virorum, de orbe Christiano laudatissime meritorum, trophæa sepulta iacere sustinere: Quod ipsum, candidos & æquos rerum laborum aestimatores facturos non dubitamus: cæterorum Momorum insulsam & maliciosam sycophantiam nihil moramur.

Denique, si autor editionis hunc laborem non ingratum fore cognoverit, accendatur omnino, ut ex priori parte Bonfinianæ historię, quæ antea seorsim triginta libris edita, in omnium est manibus, resectis ijs narrationibus, sine quibus tamen series historię, rerumque maxime memorabilium annotatio extrare potest: daturus est operam, ut epitomen quandam historię Hungaricæ ab initio ad Matthiæ usque Regis tempora conficiat: quo integram patriæ historiam, & quidem quasi in fasciculum, excerptis rebus memoria dignissimis, contractam, facile cunctis liceat cognoscere. Quem laborem ut aliquis subiret, & propter editionis expeditiorem rationem, & impensæ commoditatem, multi iam optauerunt. Quod restat, Lector optime, ut conatus illorum, qui Rempub. suo loco quoquo modo iuvare, præsertim utilium historiarum publicatione moliuntur, boni consulas, illis benigne faueas, ac huius etiam editionis autorem debito studio, gratitudine & observantia prosequaris, tui erit candoris. Bene vale.

Claudiopoli in Transylvania in Gymnasio nostro,
Anno Domini, 1565. Dic. 1. Decemb.

EPIGRAMMATA IN HISTORIAM MAT-
thiæ Hunnyadis, Regis Vngariæ Serenissimj, scripta
in Schola Claudiopolitana, gratitudinis &
obseruantia in patriam ergo.

Laudes Pæoniæ beatioris,
Vultis discere qui vetustiores:
Pugnas, per celebres simul triumphos
Regum, sospitibus quibus uigebat
Virtus, florida fama, robur omne
Gentis Pannonicæ, decusq; cælo
Tollebat, patulum vagans per orbem:
Lati plaudite: prisca si quid ad vos
Patrum stemmata pertinere debent.
Qui iam degeneres, nihilq; animum
Spirantes animo, magis ruinam
Vobis acceleratis imminentem.
Proni tenditis ad nocentiora:
Nullus diffidijs modus: nec unq;
Mentem flectitis ad salubriora
Pacis consilia. An iuuat gementem
Bellis exagitare tam cruentis
Duros Pannoniam? salutis o vos
Obliti patriæ Duces ruentis.

Quare uel modo gratiam referte
Viris fortibus, en precantur ipsi
Maiores, meritis negasse turpe est
Hoc patrum: monumenta quò legatis
Grati, Tartareo recens ab orco
Heli quæ rediuiua iam resurgunt
Cura: Non prius (heu nefas) uidebant
Lucem, Cimmerijs ad usq; claustris
Furto degeneris reposita secli

Sed nunc o Proceres iuuet disertis
Heroum celebrata patriorum
Cognouisse modis, trophæa, florem
Primæuum: Hunnyiadis simul potentis
Immortale decus uirens per æuum
Matthiæ: libeat sequi perennem

()

Laudem

Laudem, quam patriæ reliquit ille
Heros magnanimus, resurget olim
Nostrum, credite, nomen ad priorum
Laudum culmina: sit modo voluntas
Concors, sic Deus adiuuabit ausus.
Vestros, libera Marte luctuoso
Tandem tempora transigatis, Amen.

Basilii Fabricii.

ALIVD,

Mæonio Phthius plectro celebratus Achilles,
Si meruit laudis posthuma secla suæ,
Si flos Aeneadum, Patauinę gloria gentis,
Romuleis tribuit tempera longa viris:
Sic quoq; Matthias rex illustrissimus inter,
Quot tulit heroas Pannonis ora duces.
Induperatorum tremor, hunc Germania bellax
Coeli quadriuges & metuere plagæ.
Solus amans fidei, patriæ defensor, auitum
Fortunæ vicit dexteritate decus.
Vnus, Bonfinij meruit quem dextra disertis,
Efficiat cunctos exuperare dies,
Sed quid agis lior? clarum tot gesta virorum
Quid iuuat exosis continuisse locis?
Te cunctis inuise bonis, exterminat Heli
Commisssi vindex cura benigna senis.
Si claret pietate Biton, si iusta Cleobi
Vecturæ luno præmia digna dedit:
Heltus erit patriæ decor, vt qui secula scriptis
Excitat imbelli præcipitata situ.
Candida posteritas, longæuos noscere cursus
Si cupis Hunniacos, hæc monumenta leges.

Michael Paxius

ALIVD.

Pellæo gratus iuueni si Choerilus olim,
Aurea pro tenui carmine dona tulit:

Si quoq;

Si quoq; Pelides rerum sortitus Homerum
Scriptorem, magni nominis instar habet:
Tu quoq; Matthia Rex terq; quaterq; beatus
Dicere, Bonfinus quod tua gesta refert.
Eloquio magnus, Latio sermone disertus,
Qui colit Hunnorum bella, trophæa, duces.
Summum Pannoniæ celebravit quiq; patronum
Matthiam, quanto munere dignus erit?
Hoc opus autoris rerum bonitate redundans,
Dignum cælicolis quod legeretur erat:
At liuor, miseranda lues, & raptor honorum,
Bonfinum fecit laude carere diu.
Quem fatum tandem tenebris euexit opacis,
Iussit & in tota posteritate legi.
Ergo tibi munus quod dat, ventura propago,
Hætus, inoblito pectore conde, vale.

Paulus Turius Iunior.

ALIVD.

Aemathius peteret iuuenis cum littora Troiæ,
Dicitur egregias rore rigasse genas.
Cumq; propinquaret tumbæ redimitus Achillis,
Regia de summo pectore verba dedit,
glue nate Dea, salue Pelea propago,
Qui virtute tuum tollis ad astra genus.
Te claro quondam cecinit pius ore sacer dos,
Et tribuit laudi digna trophæa tuæ.
Felix Smyrnæus decorat quem carmine vates,
Vnde tuis gestis fama perennis adest.
Sic nunc Coruinæ Matthias gloria gentis,
Qui decus Hungariæ lausq; perennis erit.
Qui Mahometigenos terrebat nomine Tureas,
Bonfinij stabili iam celebratur ope.
Cuius vt immensum percurrat fama per orbem.
Aeterna Caspar pro pietate facit.
Ergo Deo gratus labor est hic, & vilis æuo,
Et longa celebris posteritate fides,

Qua

Qua monumenta sacri laudatur splendida regis,
Quem celebret patriæ Pannonis ora ducem.
Adamus Thordenfis.

ALIVD

Sedula Peliden numeris nisi Musa dedisset
Meonidæ, moriens interiturus erat:
Illustriq; sua fuerat caritura corona,
Gens inopinatis diues Achiua bonis.
Sustulit egregiam vates ad sydera gentem,
Nobilis & ducibus Græcia semper erit.
Græcia Meonidæ fauceat, gens Hungara lingue
Bonfinij, Hungariæ quæ bona mille tulit.
Coruino quoniam nati de stemmate Regis,
Ausonijs docuit facta voluminibus.
Melleus in quibus est liquor & dulcedo perennis,
Cætera materia nobilitata manent.
Si non ergo viri vigilata volumina tanti,
(Vt solet) inuisos sunt subitura rogos:
Flore virescenti solidæ radicis in omni
Tempore, Pannonicæ laus sua gentis erit.
Affer ad hos igitur non inuida lumina libros
Lector, & hinc quicquid sumpseris vsus erit.
Gaspar Decius.

ALIVD.

Pannoniæ quisq; veterum si facta virorum
Fortia, res gestas, proauitaq; regna tuentes,
Scire cupit, gestans animum, curamq; virilem:
Hæc petat extéplo moniméta decora diserti
Bonfinij, Hungariæ memorantia bella virentis,
Hunnyadisq; simul præclara trophæa potentis.
Qui velut occiduos inter nitet Hesperus ignes,
Belligeros, virtute valens, Mauorte secundus.
Quæ latuère diu tenebris abstrusa profundis,
Et viridem traxère situm per secula longa.
Ceu

Ceu solet obryzum, fatuus quod rusticus, aurum,
Ignarus precij, magnæ telluris in aluum
Condit, & ignotum est, donec solertior illo
Aduenit, & tectum magno cum fœnore profert.

Sic modo Thespiadum non ultima fama sororum,
Heltanus Caspar, sanctæ pietatis alumnus,
Ingenio doctus, studio celer, arte peritus,
Historiam ueterum, famam, lumenq; virorum
Pannonicæ gentis, cæca caligine tectam
Restituit, Stygióq; recens reuocauit ab orco.
Scripta, vbi veridico referuntur singula sensu,
Pinguntur varij casus, funestaq; fata
Heroum, ualido Martis splendore uigentúm,
Et ueteris fidei præconia digna feruntur
Constantis, qualem totus nunc expetit orbis.
Vnde uiris spectanda forent, quid bellica uirtus,
Quid valeat fortuna potens, quid dextra Tonantis,
Ergo erit à cunctis studium, solertia, uirtus,
Grandæui laudanda senis, qui nobile, solus
Inter tot strepitus armorum, sæuaq; Martis
Prælia, tantorum pondus tolerare laborum
Sustinet, & veterum recludit facta figuris.

Paulus Miscoleius.

ALIUD.

SEmina iam longo minuuntur uiuida rerum
Aeuo, paulatimq; labat iam prisca ueterno
Aetatis facies. Quem tollunt bellica laude
Gesta? Quis Aonidum facundæ Martia linguæ
Mandat facta ducum? Vel iam memorata reuoluit?
Vnus ab interitu Bonfinius, ardua gentis
Prælia Pœoniæ, domuit quæ Turcica regna
Sub duce Matthia, tremuit quem uesper & ortus,
Vindicat, æternaq; uehit propè laude sub astra.
Cimmeria tamen, heu facinus, quam ualle sepultus
Delituit multum. Noua tandem lumina cernit
Difficili, magno, cura reuocatus ab Helto.
Ergo tuum, lector, fuerit, non antea cufos
Hunniacos, grata peruoluere, mentelabores.

Demetrius Hunyadiadinus.

() 3

Aliud

GRæcia si meritò vati gratatur Achæo,
 Pergama qui dubio carmine tota canit.
 Euganea retulit laudem si cretus in vrbe,
 Qui Romanorum Martia gesta refert:
 Gloria Bonfinij uigeat prior, aurea cuius
 Litera Pannonicos tollit ad astra duces.
 Quorum magnipotens genus, & mirabile nomen,
 Turpe fuit lōngo delituisse situ,
 Ergo opus Antonij, Caspar quod publicat Heltus
 Ingenio, cura, sedulitate, fide:
 Matthiam memorat felici fidere regem
 Hunniaden, patuli qui decus orbis erat.
 Quem Gades, Scoti, Ganges Eous, & Atlas.
 Quem timuit vigili gens Agarena metu,
 Non talem Babylon regem, non bellica talem
 Africa, non Nili terrā beata tulit.
 Terruit hic rapido volitantem flamine mundum,
 Non secus ac summi fulmina dira Iouis.
 Hic potuit Geticos inuictō Marte tyrannos,
 Subdere seruili colla nefanda iugo,
 Hic vasto lætis gaudebat in orbe triumphis,
 Cum Sauus Hungariæ, Drauus & Ister erant.
 Quare age magnanimi tot facta ingentia regis,
 Suscipe, Pannonici turba relicta soli.
 Non est heroum pietas contemnere laudes,
 Virtutem, ingenium, coelica dona, fidem.
 Fama tuæ gentis vel celsa potentia quondam
 Quæ fuit, Antonij scripta diserta docent.
Paulus Iulensis,

A L I V D.

QVale tuum quondam vixit gens Hūgara nomen,
 Accipe, Bonfinij scripta probata docent,
 Scribere venturi quem mens præfaga veterni,
 Coruini monuit celsa trophæa ducis.
 Quæ monumenta recens Caspar volitare per orbem
 Iam dedit, eximia cum pietate senex.

Vnde

Vnde sagax virtus Matthiæ, & gloria pugnax
Quæ fuit, aut magnum nomen in orbe scies.
Pulvere quem putri positum debere fatetur,
His ducibus terre, redditus esse magis:
Quam caua Pirithous post rupta solutus amico
Tartara, quam Theseus Amphitrioniadæ.
Græcia Pellæi iuuenis facta inclyta laudat.
Romulus Italicæ gloria gentis erat.
At Coruine tibi meritas non patria tantum,
Debet amans grates, sed mare, terra, polus.
Nam patriæ poteras multis è millibus vnus,
Illustrasse decus, pectore, Marte, toga.
Ergo Ducum referunt quæ nunc monumenta tuorum,
Accipe gratanti Pannonis ora sinu.

Lucas Cræcerus
Bistriciensis.

ALIVD.

Gloria non parua est veterum monimenta virorum,
Cum fera populi posteritate loqui.
Vati Pelides diuino gaudet Homero.
Carmine qui claros vexit ad astra duces.
Aeternam Aeneas, decus indelebile, famam,
Ferret in Hesperiam cum noua regna, tulit.
Diues ab Imperijs, totum dominata per orbem,
Lata Themistoclem Græcia laude colit.
Non minus Hungariæ Regum bona fama potentum,
Præmia qui patriæ iusta dedere, iuuat.
Gloria, gentis honos, Matthiæ est Marte recepta,
Omnibus hic terris deuenerandus erat.
Hunniades veterum celebri de stemmate Regum,
Clara triumphali Marte trophea tulit.
Gens fera bellorum studijs, operumq; labore
Turca, suis regnis tunc male tutus erat.
Fortia dum tentat feruenti prælia bello,
Terruit Imperio quicquid in orbe fuit.
Cum fortis lata regnum ditione teneret.
Pannonicæ gentis gloria summa nitet.

Res

Res cuius gestas victriciaq; arma secutus
Bonfinus, gentis nomen ad astra tulit.
Præliaq; Heroum. quos Hungara terra triumphis
Ante aluit, scriptis conspicienda dedit.
Quæ Stygijs quamuis tenebris submersa iacebant,
Illa tamen certa sunt renouata fide.
Sedula mens, pietas, Hæti officiosa voluntas
Gasparis, integrum & cura retexit opus.
Ergo, qui cernes genus hoc laudabile scripti,
Pannoniæ redeant vt noua sceptrâ, roga.
Franciscus Copacius.

ALIVD.

ITalię tellus, celebris quoque Græcia semper,
Nutrijt & summos Teutona terra duces.
Vix tamen emeritas virtutibus illa secundis
Matthiæ laudes Regis adire potest.
Bonfinij cuius solers modo ritè disertij
Ingenium pandit, Martia gesta, decus.
Floerat hic patriæ, princeps augustus, & idem
Spes fuit Aonij non dubitata chori.
Ergo potest merito patriæ pater ipse vocari,
Dignus erit patrio semper honore coli.
Hunc metuere duces, magni timuere tyranni.
Matthiæ domuit quos fera dextra ducis.
Te quoq; Bonfinus per quem liber ecce recusus
Limina Pannonicæ posteritatis adit.
Caspar amande bonis, laus altera, fama superstes,
Est opus & florens vt comitetur honos.
Ergo quibus liuor non viscera torquet iniquus,
Hæret at in studijs mens generosa bonis.
Hanc legat historiam Matthiæ gesta docentem,
Inuicti regis fortia bella sciet.
Iohannes Quinqueecclesiens.

ALIVD.

Qui monumenta cupis, regis cognoscere summi
Matthiæ, & Martis clara Trophæa sui.
Discere si vitam, claros super hoste triumphos,
Quis similes toto vix legis orbe, liber,

Huc

Huc ades hoc voluas iterumq; iterumq; reuoluas,
Cuncta legendo tibi suppeditabit opus.
Si quem scire iuuat peregrinae praelia gentis,
Nonne magis patrias res didicisse decet?
Res lacrymosa satis, quod gens fortissima paucos
Praecones meruit laudis habere suae.
Hic quoq; Bonfinus, qui nunc emerfit in orbem,
Vix Phlegetontæis est reuocatus aquis.
Posteritas multum debet serior Helto,
Excitat obscuris quod bona scripta locis.
Atq; facit vasti perecurrere climata mundi,
Officij referat foenora iusta precor.

Valentinus Tolnensis.

ALIVD.


Choriambicum Aselepiadeum

○ Plebs Hungariae, Martia semina,
Forti Thyrligenae pectore feruida,
Bellonae studio dedita nobili,
Gens sic Hunniaci posteritas ducis
Regis gesta tui concelebres sacri,
In lucem Patavino data nunc tibi
Filo, Maonijs inferiora nec
Genti Cecropiae quos dedit annibus.
Non est splendidior palma nec Hectoris
Matthiae celebris gloria quam ducis.
Caelorum ad dominos quae mage duceret,
Matthiae inclyta quam facta sacrata te.
Hunc tu magnificis tollere honoribus
Quas illi in proprio repperis horreo
Non cesses moneo, Martia gens, ducem,
Per quem Pannoniae gloria, nomen, &
Creuerunt tituli, laus simul imperi
Ad cursum rutili solis ab hesperi
Vergentis domibus, per freta disita.

Iohannes Zilahinus.

ALIVD.

Vluida perpetuo florescit gloria laudis,
Immortale decus, Famam vaga gloria caelo



Terminat, æternum est atq; indelebile nomen.
Talis Pœonijs diluxit gloria rebus,
Clarius & cunctas superauit lumine gentes,
Vna inter mortalia res nitidissima virtus.
Fulgidius tamen hæc, Matthia Rege, recenter:
Quo duce Pannonium pulsauit sydera nomen,
Ceu viridis gemmas inter fulgore Smaragdus
Enicuit magis: ô Regum Rex maximus cheu,
Qui tanta euerfis peperisti commoda rebus,
Pœonijs decus omne viris, memorabile nomen.
Tu gentilis honos, cognomen nobile nostro
Tu generi: tacitis ne igitur fileare diebus
Conueniat? nec maclus honos rumore perenni
Viuat? vel pereat tantarum gloria rerum?
Est rerum Ilias hic Bonfinij scripta disertis,
Solertis qui facta Ducis qui bella notauit,
Qui mores, qui mentis opes & rebus adumbrat
Omnia præteritis, dulci uel nectare dulcis
Est magis, Authorum & rerum doctissimus, ergo
Si sapis hunc solito citius peruoluito librum.

Georgius Serarius
Claudipolitanus.

ALIVD.

Cum Deus magni moderator orbis,
Inter hostilem rabiem impiorum,
Protegat Christi placide cateruam,

Tempore in omni:

Excitat Reges validos in armis,
Ense præcinctos, auidos feroci
Marte pugnandi, veluti leones

Robore fortes.

Hos Deus virtute duces decenti
Instruit, quo magnanimi rebelles
Conterant hostes, populi vt quieta

Pace fruuntur.

Pannonos talem pietate clari,
Et graues bellis habuere Regem,

Marte

Marte Matthiam celebrem cruento,
Stemmata magnum,

Hic erat fortis, moderatus Heros,
Præses inuictus patriæ, duello
Dispulit qui terrifico minantes

Pæonis oræ.

Huius admiranda decet notare
Posteris gesta Hunniadis potentis,
Sicut Heroum celebrata fas est,

Noscere facta.

Illa Matthiæ generosa Regis,
Scriptor hic Bonfinius acta, nobis
Prodidit doctus memorans diserte,

Candide Lector.

Demetrius Agricola Siskaj.

ALIVD.

Dignum laude reor, tacitum mansura per ævū
Clara ducū scriptis semper monumenta disertis
Doctorū celebrata virūm, meritisq; Camoenis:
Invida posteritas, sed mox volentibus annis,
Sæpius ingrata suppressit talia mente.

Indicat hoc etiam nostrorum vita Priorum,

In lucem studio Antonij reuocata disertis.

Quorum fama diu latuit, longosq; per annos,

Obscuris uisa est noctis demersa tenebris.

Ecquis enim patrijs Hunnū celebrasset in oris?

Clarus at ingenio Bonfinius, ore rotundo,

Historiam culto scribens sermone perennem

Pannoniæ, nostrum tollit super æthera nomen,

Gestaq; maiorum tetra sic eximit orco.

Omnia mandantur scriptis quæcunq; disertis,

Illa vetustatem pariunt longæua manentem.

Ergo tempus edax famam ne deuoret istam,

Eruta diuersis annalibus inclytus Heltus,

Cui merito celebrem virtus dedit ardua famam,

Edidit in lucem solers, tenebrisq; malignis

Eripuit,

Eripuit dignos hac posteritate priores,
Sub quibus Hungariæ veteris Mauortia tellus
Claruit, enituit, cum Pannona gloria vixit.
Quos iuuat antiqui cognoscere temporis acta,
Cura sit excultas vigili coluisse labore
Historias, rerumq; vices, discrimina, normas.

Johannes Pesthius.

HISTORIA

INCLYTI MATTHIAE HVNNYADIS, REGIS
Hungariæ augustissimi, Ex An-

tonij Bonfinij, Historici disertis, libris, Decadis primum
Tertiæ, deinde Quartæ (quæ latuit hæctenus, nul-
libiq; impressa fuit) in vnum congesta
ac disposita

A

CASPARE HELTO,
Claudiopolitanæ Ecclesiæ Ministro,
ac Typographo.

VATICINIVM.
Antonij Bonfinij, de perturbatione & con-
cussione Regni Hungarici.

Extat Lib. IIII. Decadis. III. Pag. 4 26.

Barbaram igitur Scythicę, inquit, gentis immanita-
tem, quę tantopere concordiam & ociũ abominatur,
diu iste furor exercuit: Et eousq; (ni mentiar) exercebit,
donec se quisq; meriti, Cohercere ambitionem, Aliena
dimittere, Inuidia carere, Mutuamq; concordiam amare
didicerit &c.

CLAVDIOPOLI
in Transyluania, Anno post datum
& natum Messiam.

1565.

D. Thomæ Jordano fraeri charissimo Stephanus Jordano
Claudiopoli mitebat.

1569.

R.M. 11
F4/b

B
71

Perennialibus pactis cum Turca melucijs Matthias
Rex Hungariae fontem solido exornatum
marmore Budensi arte dicitur exsculpsisse
cum dormientis nymphae expressa imagine
Marti foris modum uale dicitur extremum
haec inscriptione.

Fontis nympha sacris, somnum ne rumpe, quiesco.
Dormio dum blanda sentio marmur aquae.



MAGY. TUD. AKADEMIA
KÖNYVTÁRA

Epitaphium Mathiae Regis Hungariae

Mathias iaceo Rex hae sub mole sepultus
 Testatur vires Austria victa meas.
 Terror eram mundo: metuit me Caesar uterq;
 Mors tantum potuit sola nocere mihi.

Roma ad campum Florae e regione s. Laurentij in Damaso
 pictura equestris Mathiae Regis aurea panoplia
 Sub pedibus agmina Incarum prostrata. Supra
 verticem a dextra Angelus: a Lana Diabolus.

Diabolus ~~Angelus~~ loquitur.

Tartara te capiunt, sed te sibi vendicat aether

Dixit adeo virtus Rex bone grata tua est

Dam neq; te sperant mea Regna neq; astra refoecunt

Imperio terras inter utrumq; rege

Angelus

Deberis coelo Mathia inuicte sed ipsa

Pelligio in terris usq; tuenda tenet

Hanc uictor defende dia: coelumq; mereris

Mortaleis fossit qua pietate doce

Item, Ne falleretur ictus, locum præsignasse regiæ sellæ, in scopuli speciem. In Wiennensi quoq; obsidione adulterinis literis clam ciuibus. Morauia, Bohemiaq; commeatus sæpe misisse.

Paulo post eadem rogatus dicere, se præ cruciatibus ista fuisse confessum. Et, ne capitis reus esset, sui conscius, extra quæstionem nil de confessione affirmare. Hac demum cauillatione uti, Eculeo se resistere non posse, Item, Insontem esse, Et nil vnq; in dominum, de se optime meritum, fuisse molitum. Demum, Mori malle, quam supplicia, morte grauiora perpeti.

Rex, qui facinus sat compertum habere dicebatur, per internuntium & præfectum carceris eum admonet, à se veniam postularet, Et se non denegaturum esse pollicebatur. Contra ille, ne criminis, læsæ Maiestatis reus esse videretur, nunq; adduci potuit, vt sibi supplicaret ignosci, capitisq; supplicium deprecaretur. Capite mulctari maluit, quam ex veniæ petitione, precariaq; vita pro confessio haberi, ac tanti facinoris infamiam sustinere.

Commotus hac obstinatione Princeps, ritè de eo iudicium haberi iussit. Et anteq; Vienna discederet, conuictus ille capitis, in forum educitur. Aquis Scribæ mortem oculis Wiennensis populus spectare non poterat. Multi licetorem clam admonebant, ne lethali vulnere seuiret in ceruicem. Ac ille, siue ex composito, mercede dudum adactus, siue casu, ceruicem haud quaq; amputauit. Ictum ex media ceruicis parte in humerum deflexit. Quum repetere vellet, saxi à populo petitur, In fugamq; stricto ense conuersus abijt. Hiereslaus in proximas eedes translatus, ex profluuio sanguinis paulo post animam efflauit. Pandobus, fraternæ mortis indignatione ad Cæsarem transfugit. Hic fuit infelicis scribæ exitus.

*Conuictus
capitis Hiera
reslaus, in
forum edu
citur.*

CASPAR HELTVS.

B Antonij Bonfinij libri quatuor, qui ex hac Decadæ quarta desiderantur, inuidia maleuolorum suppressi sunt: quemadmodū & isti haecenus in tenebris latitarūt. Verum qui boni sunt, veri & recti amantes, huiusmodi suppressionis non possunt esse authores, nisi qui magis tenebras quam lucem amant: et in gratiam malorum, etiam ad omnia iniusta & turpia, prompti sunt ac parati. Viros igitur honestos & ingenuos reuerenter & amanter peto, Sicubi quatuor libros Bonfinianos, annorum quatuor & trium mensium historiam continentes, extare nouerunt, ut horum nobis copiam facere dignentur: quo & illi publicari possint, & opus inscriptioni, cum magno lectorum commodo, respondere queat. Grata mentis significatione hanc operam ab honestis & ingenis uiris amplectemur. V.



MATTHIAE HVNNYADIS REGIS

Hungariæ versus, quibus Anthonium Con-
stantium poetam compellat.

Non leuis Aonidum Constanti cura sororum,
Qui nos, qui nostrum tollis ad astra patrem,
Diffusum Aulonias rumore scribis in vrbes,
Me pia pro sancta bella mouere fide,
Pannonicam mecum pariter descendere pubem.
Ac procerum cœtus, Regia signa sequi.
Vera quidem nostros vulgarat fama paratus,
Nec quicq̃; vani finxerat illa ioci:
Hoc siquidem toto castris indulimus anno,
Gessimus & Musis non reticenda tuis.
Nam patrium iuxta vires dum cogimus Ystrum,
Venturum Martis dum meditamur opus:
Ecce proteruus Halis fiducia summa suorum,
Sirmia traiecto peruolat arua Sauo,
Nimirum egregia sperans se laude potiri,
Vreret ante oculos si mea Regna meos.
Iam prædam referebat ouans, iam victor abibat,
Per modo transmissas mox fugiturus aquas,
Quum subito nostras præsensit adesse Phalanges,
Quamuis nox medium densa teneret iter,
Ilicet instructas agit in certamina turmas,
Hinc litui, ast illinc timpana rauca sonant.
Infesta aduersis concurrunt agmina teli.
Fit fragor, & multo terra cruore mader.
Ter mutata vices victoria vertit, & hostis
Ter pugnam fertur, ter repetisse fugam.
Sed postq̃; ætatas acies lux clara retexit,
Turbarum visu retulit ille pedem.
Magna cadit campo pars, maxima mergitur amni,
Pars fert captiua tristia vincla manu.
Ipse per aduersas euadit sauius vndas,
Mittitur ac proprios præda recepta lares,
Non tamen accepta vesanus clade quiescit,
Sed stimulat victum bella nouare pudor.

Danubium rursus collecto milite transit,
Rursus & ingenti cede repulsus abit.
Hic ego turpe ratus tantummodo nostra tueri,
Nec rerum oblata commoditate frui.
Continuo hostiles transcendo letus in agros,
It comes à tergo luctus, & ante pavor.
Myrorum spoliatur opes, trux omnia late
Gradius ferro mulciber igne rapit.
Nusq; toruus Halis, nusq; ampla potentia Turcæ,
Nusq; arcu & conto vincere doctus eques.
Postquam nulla datur quæsiti copia pugne,
Vertimus ad patrias frena retorta domos,
Sed quoniam pratis etiam tunc herba virebat,
Nec fera militiam præpediebat hyems,
Fortunam ulterius placuit tentare secundam,
Nec tam præsentem tam cito deesse Deo.
Pars fuit Illyrici, quam, nunc vocat incolæ Bosnam,
Dura sed argenti munere diues humus.
Non illic virides spaciose margine campi,
Nec sata qui multo scenore reddat ager,
Sed rigidi montes, sed saxa minantia cælo,
Castella, & summis imposita alta iugis:
Hanc tum inuicta tuto munimine terram,
Quam vix excindi fulmine posse putes,
Cœperat ille ferox hac ipsa æstate tyrannus,
Principis & miseridempserat ense caput.
Huc feror, & regni confestim sede potitus,
Cætera partitis viribus aggredior.
Arx erat impendens capte modo mœnibus vrbis,
Præsidio, & posito non adeunda loci.
Admoueo illius tormenta tonantia, muris,
Sed tamen obsessos machina nulla mouet.
Quid tibi nunc memorem, quam sæpe è turribus altis,
Iactarunt crebras tela imitata niues?
Quidue loquor quoties ausi prorumpere noctu,
Haud parua excubijs damna dedere meis?
Non alios validi stridens aquilonis hiatus,
Nec domat hyberno sidere triste gelu.

Conti-

Continuus donec labor, & penuria limphę,
Infregit tandem pectora dura virum.
Venerat alma dies, peperit qua virgo salutem,
Nuntius optatę deditionis adest.
Ergo agimus læti geminato gaudia festo,
Ac fessis nasci est altera visa salus.
His demum exactis patrias remeamus ad oras,
Nec dabimus lentę tempora longa morę.
Nam simul astrictas Zephirus regelaerit vndas,
Fuderit & molli gramina prima solo:
Nostra virens iterum tentoria campus habebit,
Forsthan auxiliũ cętera turba feret.
Vt tamen ipse refers, nemo est sub regmine cęli,
Qui studeat nostris addere rebus opem.
Gallia dormitat, nec curat Iberia Christum,
Angelia gentili seditione ruit.
Proxima conuentus Germania cogit inanes,
Permutat merces Itala terra suas.
Nec quenq; præter Venetos ea cura remordet,
Quos iungunt fretis fœdera parta meis.
Hos dudum audimus moliri nobile bellum,
Horum iam multa Nerea classe regi.
Sed meus à reliquo longe status ordine differt,
Nec volo, nec possum si piger esse velim:
Turcarum nostro nimium gens proxima regno,
Securos nobis non sinit ire dies:
Hanc ego perpetuis statui insectarier armis,
Mollia proposito sint modo fata meo.
Manifici sic alta iubent exempla parentis,
Sic facer æternę religionis amor.
Talis Romanum Pœnus iurarat in hostem,
Talis in inuisos vltor atrida Phrygas.
Nec prius obsistam cęptis, si vita super sit,
Quanq; pulsus Phixi trans mare Turcus erat:
Queat non solos is perdere nititur Hunnos,
Sed Christum immenso quisquis in orbe colit.
Præcipue Hesperiam votis petit omnibus vnã,
Quam sua si mittat sub iuga, cuncta domet.

Nam postq̄, Eoꝝ possedit mœnia Romę,
Occiduam pariter subdere fudit atrox.
Hanc ferro, hanc rapidis inhiat subuere flammis,
Fecit vt ante Senon, fecit vt inde Getes.
Quare age magnanimi consurgite quęso Latini,
Neue cadat vestro tempore auitus honor.
Vidit ab occasu sol omnia, vidit ab ortu,
Vestrorum quondam sub ditione patrum.
Nec tam vlli debent lapsō succurrere modo,
Quam mundi imperium, qui tenuere prius:
Nonne pudet vestrę quod mater Grecia linguę,
Barbarico discit fremere verba sono?
Quod vestra veneranda soror, seu filia Roma,
Iam pridem serua est, domina ante fuit?
Si vos nulla mouet priscearum gloria rerum,
Proximitas hostis iure mouere potest.
Gallia si dormit, vel Iberia, nil ego miror,
Neutra est instanti nempe propinqua malo:
Me ne adiuturos ausim sperare Britannos,
Quos procul extremus submouet oceanus?
Ipsa autem nunquid fauit Germania nobis?
Quum tamen (heu) regno iuncta sit illa meo,
Vos & communis vicinia certa pericli,
Mutuus & nobis conciliauit amor.
Nec dubito Italiam prestare vel omni solum,
Posse, vbi tot populos, tot liquet esse duces.
Sunt illic acres Genue discordis alumni,
Oppida sunt Thuscis libera multa plagis:
Sunt Veneti dominos gens æquatura Quirites,
Vnde volant toto rostra liburna mari,
Est illic, veteris retinet qui freno Tarenti,
Est magni Alfonsi regia progenies.
Pontificum princeps, vrbis & orbis apex,
Est pater ille Pius, rerum cui summa potestas.
Est qui te placida Ferraria pace gubernat:
Est qui te forti Mantua Marte regit.
Multi præterea clari virtute: sed omnes
Supra Sforciades nomine nomen. habet,

Sunt

Sunt & opes Latio reliquum nec tanta per orbem.
Humanum ferme possidet omne genus,
Quocirca vnanimes trepidum properemus in hostem,
Magna manent terra pręmia, magna polo,
Vita polo, quę uos seruet sine fine beatos:
At terra innumeris laus cumulata bonis.
Nos patrię tamen, & fidei non decrimus vnq̄;
Seu magnam, exiguam seu tuleritis opem.

Finis: